



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Præloqvivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

REGIÆ
VIAE CRVCIS
LIBER TERTIVS.

De bairlata CRVCIS fructibus.

PRÆLOQVIVM.

Math. 7,
14.



RECTA est VIA qua ducit ad vitam. Non vnus in CRVCIS semitâ occurrit cruciatus; pluribus illa anfractibus, laboribus ac periculis obsepta est, vt mirum minimè sit, si pauci eam ad finem vsque perambulent. Fatendum interim, tot vitæ spiritualis præsidia, tot pietatis adminicula, tot prærogatiuas atque emolumenta in eadem inueniri, vt qui accuratè illa voluerit expendere, facilè omnem, quæ deterrere aliàs poterat, superaturus sit difficultatem. Fructuum nempe spes amplissima laboris mitigat minuitque magnitudinem; quantumque hic reuocat, tantum illa ad CRVCIS am-

amplexum, & suscepti itineris continuatio-
nem prouocat.

Intellexit hoc dilecta Deo anima, quæ di-
cebat: *Ascendam in palmam, & apprehen-* Cant. 7, 8.
dam fructus eius. Quid enim hoc? nisi, ut-
cumque asper & scabrosus sit palmæ cau-
dex, quia tamen fructum habet dulcissi-
mum, intrepida ascendam, vincamque quid-
quid durum, ut optatis tandem fruam fructi-
bus. *Minuitur enim ascendentis labor, dum* Hugo de
fructus in arbore sentitur odor; difficultatemq; S. Victore
ascensus aufert dulcedo gustus. Palma est Chri- l. 1. Instit.
stus, fructus eius salus; spes salutis in ligno Monast.
CRVCIS. Et verò ipse Christus formam ser- de bestiis
uani accipiens, acerbissimam CRVCIS mortem c. 23.
subire non dubitauit, eiusq; altitudines dolo- Phil. Car-
rum omnium & cruciatuum, ignominie atque path. in
dedecoris, non modo vicit, verum etiam ama- c. 7. Cant.
biles reddidit, & gloriosas planeq; celestes &
salutares. Hinc Paulus egregius ille predicator
& doctor in CRVCIS ignominia & passione
gloriatur, cum dicit: *Mihi absit gloriari nisi* Gal. 6, 14.
in CRUCE Domini nostri Iesu Christi. Hinc
reliqui Apostoli, & ceteri fideles omnes, labo-
rum premia consecuti sunt, & consequentur.
In hac vnâ tentamenta omnia & arumnarum
tormina sedantur atque vincuntur: per hanc
animi perturbationes & vulnera, vel lethalia,
felicissimè curantur.

T 2

Sed

Sed quòd absconditi vulgo sint hi fructus, hinc scilicet est quòd tardè adeò ad CRVCIS iter accingamur. Optima enim quæque natura celat, nec eorum pretium primâ fronte apparet. Aurum, argentum, rariora marmora terræ visceribus altè abstrusa iacent, vt nec eruta quidem aliam quàm vilis glebæ referant speciem. Vniones, gemmæ, lapides pretiosi partim in conchylibus & limacibus, partim in bufonibus, & id genus in amœnis reperiuntur bestiolis; primoque aspectu despiciabilia apparent. Pleraque aromata rudibus integuntur corticibus; at verò quàm intus hæc pulchra, pretiosa, & efficacia! Talis quoque CRUX, afflictio, & tribulatio; aspera prorsus & horrida est, absque eo quod intrinsecus latet: id verò nisi periti rerum æstimatores aperiant, quid mirum si magno eam studio passim & fugiant & auersentur, ignari? Qui autem absconditum in eâ agnoscunt thesaurû, næ illi vel maximè amant & amplectuntur. E cælo accersamus testimonium: Magnum illud Bæticæ decus Teresia, à morte cuidam gloriosa apparens, affirmavit, se nullam ob rem luculentiorum in cælo recepisse mercedem, quàm ob labores, CRVCES, & dolores hîc exantlatos; seque, si vllâ ex causâ in terram optaret redire, non aliâ, mortalem hanc vitam cælestibus præ-

po-

Ribera l. 5.
Vit. S. Te-
ref. c. 4.

posituram gaudiis, quàm vt ampliùs pate-
retur. Maximi proinde momenti ad CRV-
CIS iter ritè emetiendum fuerit, hæc aliaque
attentiùs considerare & expendere.

Non defuit hac in parte Staurophilæ no-
stræ suauissimus ductor, doctorque CRVCIS
Christus. Oblatis enim toto itinere variis
occasionibus, modò hunc modò illum
CRVCIS explicabat fructum, vt ita & ala-
criùs viam capefferet, &, quod ex fatigatio-
ne suboriri solet, tædium animosiùs supera-
ret. *Sunt enim qui in studijs spiritalibus fa-*
tigati: & versi in teporem, atque in defectu
quodam spiritus positi, ambulant tristes VIAS
DOMINI, corde arente & tadente, accedunt
ad iniunctum CRVCIS onus, frequenter mur-
murant, longos dies, longas conqueruntur &
noctes, loquentes cum S. Iob: Si dormiero, di-
cam, Quando consurgam? & rursus exspe-
ctabo vesperam. Ergo vbi contingit tale ali-
quid pati, si misertus Dominus appropiet no-
his in VIA quâ ambulamus, & incipiat loqui de
celo qui de celo est; nec non fauorabile quid-
piam cantare nobis de canticis Sion, narrare et-
iam de ciuitate Dei, de pace ciuitatis, de eter-
nitate pacis, de statu eternitatis, erit pro vehi-
culo anime dormitanti & pigritanti leta nar-
ratio, ita vt pellat omne fastidium ab animo au-
dientis, & à corpore fatigationem. An tibi

Bernard.
Serm. 32.
in Cant.

Iob. 7, 4.

Pfal. 118,
28.

*aliud vel pati vel petere ille videtur, qui ait:
Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me
in verbis tuis?*

Chrysoft.
Hom. 4.
ad Pop.
Antioch.

Verba autem vitæ æternæ, & mellitissimas
consolationes Staurophilæ in viâ suggestas
tertio hæc Libro seorsim describemus: vt ita
de CRUCE, velut ligno vitæ, fructus spiritua-
les, & iustitiæ manipulos colligere dicamus.
Sic enim agricola letatur & gaudet tempesta-
tem videns. Non enim præsentia respicit, sed
futura; non respicit fulmina, sed manipulos
computat; non marcescentia semina, sed ver-
nantes spicas; non grauem imbrem, sed iucun-
dissimam areæ vextilationem: sic & nos non
præsentem spectemus afflictionem, sed orien-
tem ex ipsâ utilitatem, exq; ipsâ nascentem
fructum. Exspectemus aream & manipulos, &
non modo nihil graue ex præsentem CRUCE pa-
tiemur, sed & innumera bona capiemus.

